



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 145. Quid notandum sit circa resignationem factam ab infirmo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

ingrediendæ, tum quia refertur declaratio S. Congreg., eò extendens decretum *Trid.* Sess. 25. c. 16. de Regul, quo prohibentur abdicaciones usque ad duos menses proximos professioni, tum etiam quia eadem hîc est ratio, ne videlicet novitii deterreantur ab egressu è novitiatu, aut si egrediantur, ne careant competentiam vivendi: Novitios autem ipsos posse cum consensu Episcopi etiam sine consensu Superiorum duobus mensibus ante professionem resignare beneficium, etiam super quo ordinati sunt, docent communiùs A A apud *Leur.* q. 327. & 328. n. 3., quamvis resignatio non habeat effectum, quousque emittant professionem: è contrà *Mach. Villal. Garc. Barb. Castrop.* dicunt illud decretum *Trid.* non agere de resignationibus beneficiorum, sed tantum de abdicatione aliorum bonorum, quod probabile reputat *Pirb.*, quia loquitur de renunciatione etiam in favorem causæ piæ, quod beneficiis non convenit, adeoque censent beneficia ab ingressuris & ingressis resignari posse, quando & quomodo volent, dummodo serventur leges juris communis: sed *Maj. Az. Paris. Laym. Sperel. Sanch. Tond. Chok. Pirb. Leur.* n. 1. tenent velut probabilius, quòd *Trid.* loquatur etiam de renunciatione beneficiorum, cum de his sit eadem ratio: talis tamen renunciatio imbibit hanc conditionem, si professio sequatur; hinc beneficia sic resignata conferri non possunt nisi professione secutâ.

Q. 145. Quid notandum sit circa resignationem factam ab infirmo. R. Seqq. 994

§. I. Regula Cancell. de infirmis sic habet, Item voluit, ut si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in Romana Curia sive extra illam aliquod beneficium, sive simpliciter sive ex causa permutationis, vel aliàs dimiserit aut illius Commen-

da cesserit, seu ipsius beneficii dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signata, & postea infra 20. dies per ipsum resignationem præstandi consensûs computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum beneficium quavis auctoritate conferatur, collatio huiusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.

995 §. II. Causæ hujus Regulæ fuerunt, 1. ne vel Ordinarii fraudentur collatione sibi competente; vel expectantes, gratiâ sibi factâ: 2. Ne beneficia fiant hæreditaria, aut de illis disponatur quasi per viam ultimæ voluntatis. 3. Ne ab homine per instantem mortem turbato obtrudantur quævis personæ: 4. Ne detur occasio captandi mortem resignantis, *Paris. Leur. p. 3. q. 333.* Et quia Regula illa est secundum jus commune, ad communem utilitatem & pro servandis juribus Ordinariorum, censent eam esse favorabilem *Rebuff. Paris. Leur. q. 334.*, sed contradicunt *Dec. Mandos. Sarn. Gamb.* & alii dicentes esse odiosam, quia est ad gravamen eorum, quos concernit, nempe infirmorum. Vide dicta l. 1. à n. 619.

996 §. III. Sub hanc Regulam cadunt omnia beneficia, etiam electiva, etiam patronata, hinc licet talis beneficii tanquam per resignationem vacantis jam facta sit institutio, collatio, confirmatio, si tamen resignans ante expletos 20. dies moriatur, ista omnia sunt invalida, & providetur beneficium tanquam vacans per mortem, *Rota, Rebuff. Az. Paris. Tond. Pirh.* Idem est, si infirmus quomodocumque dimiserit, v. g. volendo uniri vel incorporari, *Mandos. Az. Paris. Pirh.*, Item si beneficium sit consistoriale & à Papa provideatur extra consistorium, *Az. Paris.* Item si beneficium
acqui-

acquisitum vigore gratiæ per solam supplicationem signatam ante expeditas litteras resignetur, *Parisus* E contra translatio pensionis ecclesiasticæ non comprehenditur, *Gom. Mandos. Paris.* Nec officia sæcularia Curia Romanæ, *Sarn. Az. Paris.* Vide *Leur.*

q. 335.

§ IV. Hæc regulâ comprehenduntur Cardinales, quia ubi agitur de fraude vitanda, hi etiam comprehenduntur, *Sarn. Azor, Paris. Chok. Pirb.* contra *Barbat. Mandos & alios.* Item Patriarchæ, Episcopi, Abbates, Priores, exempti, familiares Papæ, Officiales Curia Romanæ: Item Abbatissæ, Priorissæ, uti habent *Rebuff. Paris. Chok. Pirb.* contra *Mandos.* Vide *Leur.* q. 336. Item comprehenduntur collationes omnes, quas jam relati facere possunt, *Rebuff. Paris. Leur.* q. 338. Neque tantum collationes sunt vi hujus Regulæ irritæ, sed etiam ipsæ resignationes, quas etiam Papa non admittit, nisi sub conditione vitæ per 20. dies perduraturæ, hinc per ipsas non vacat beneficium, *Lott. Leur.* q. 340.

§ V. Hæc Regula habet locum in resignatione, 998
1. quæ fit per procuratorem, quia idem, imò majus periculum est fraudis, si per hunc fiat. 2. Quæ fit coram Ordinario, (saltem extra Galliam) quia dicitur, sive in Romana Curia sive extra illam, item quavis auctoritate conferatur, *Rebuff. Paris. Az. VVames. Tond. Chok. Eng. Pirb.* contra *Papen. Dec. Mandos.* dicentes, imprimis Regulas Cancellariæ non habere locum extra Curiam; deinde cum resignatio apud Ordinarium non fiat in favorem, cessare principales causas legis n. 995. relatas; sed primum argumentum falsum est ex dictis l. 1. n. 575. Alterum autem etiam deficit, nam saltem tres ultimæ causæ manent, & unâ cessante non ideo cessat

fat dispositio, §. *Affinitatis*, Instit. de nuptiis. 3. Quæ fit permutationis gratiâ, uti exprimit Regula, etiam si beneficia sint æqualia, *Rebuff. Mandos. Graff. Paris. Az. Chok. Tond. Pirh.* contra *Sarn. & Gonz.*
4. Quæ fit sub pensione vel reservatis fructibus. Vide *Leur. q. 337.*

999 §. VI. *Paris. Az. Castrop. Chok. Pirh.* testantur in Curia esse praxin, ut Regula habeat locum, etiam si resignans, dum resignavit, non fuerit infirmus, dummodo decedat morte naturali vel violenta intra 20. dies à præstito in resignationem consensu, uti si resignarit, & intra 20. dies ob crimen afficiatur ultimo supplicio: de cætero rectè notat *Engel* spectando verba Regulæ oppositum esse verum, nam dicit, *si quis in infirmitate constitutus resignarit: & de ipsa infirmitate decesserit.* Vide *Leur. q. 341.* Saltem non sufficit, si intra 20. dies moriatur civiliter, v. g. ineat matrimonium, quia statutum loquens de morte, intelligitur de naturali, prout opponitur civili, *Chok.* Nec sufficit, si moriatur intra 20. dies post privationem, quia Regula loquitur de resignatione: si tamen privandus resignaret, putant *Paris. Chok. Pirh. Leur. q. 342.* Regulam habere locum, sed attendendum est ad praxin, nam verba id non sonant.

1000 §. VII. Ponuntur 20. dies, quia Medici dicunt totidem esse periculosos in morbis acutis: Intelliguntur autem dies naturales seu 24. horarum, sic enim in jure accipitur dies, *L. More Romano, ff. l. 2. tit. 12., Sarn. Rebuff. Selv. Paris. Chok. Pirh. Leur. q. 344.* Et numerantur à die, quo resignans præstat consensum resignationi à Superiore approbatæ, licet necdum consenserit resignatarius, *Rota, Paris. Leur. q. 339.* Putatque *Paris. l. 12. q. 5. n. 37.* si resignatio fiat apud Papam, intelligi diem, quo ad suppli-

supplicam procuratoris datur parvus consensus, de quo dictum est n. 971., sed *Rebuff. Az. Chok. Pirb.* aliique communiùs cum *Leur. q. 344. n. 3.* dicunt intelligi consensum magnum in Camera, quia ante hunc non est resignatio perfecta sed res adhuc integra & locus pœnitentiæ secundùm dicta n. 971. Si autem resignatio fiat apud Ordinarium, numeratur à die, quo Superior resignationi præstat consensum, *Pirb. de Renunc. n. 34.*

§. VIII. Diem, quo præstatur consensus, includunt in numero 20. dierum *Rota, Gl. antiquus, Paris. Castrop. Pirb. Leur. n. 4.,* quia licet dies termini inchoati in odiosis non computetur esse in termino, l. *Eum qui 41., §. planè, ff. de verb. oblig.*, aliud tamen est, ubi eum includi favorabile est illi, cui terminus statuitur, & ita *L. Gallus, ff. de liberis & posthumis,* dicitur, si quis nepotem, qui nascetur infra 10. menses à die mortis filii, instituerit hæredem, diem illam mortis filii includi in illis 10. mensibus; quod hîc magis tenet, nam cum dicatur, infra 20. dies, tò infra, regulariter includit sua extrema, uti ex *Civilistis* probat *Paris. n. 25.* E contra diem præstiti consensûs excludunt *Sarn. Rebuff. Chok.,* & probabile agnoscit *Leur.,* quia nullitas resignationis videtur in pœnam statui, dies autem termini, in pœnalibus, non computatur esse in termino.

§. IX. Primus dies præstiti consensûs & similiter dies ultimus, quo resignans moritur, non debet censerî pro die completo, sed incipit à momento, hinc si quis resignet primo die Januarii manè horâ 8., & moriatur ante horam 8. diei 21. Januarii, non supervixit 20. dies, quia licet in favorabilibus dies inceptus habeatur pro completo, si tempus definia- tur per annos, *L. A qua etate, ff. de Testam., ta-*

men si à lege fiat computatio per dies, sumitur de momento ad momentum, *Gemes. Paris. Az. Sanch. Castrop. Pirb. Leur. n. 5. & 6.*

1003 §. X. Qui vult infirmare resignationem, probare debet mortem obvenisse intra 20. dies, quia quisque debet probare id, supra quo se fundat, l. 2. ff. de Probat. Debetque probatio esse clara & plena, *Sarn. Mandos. Paris. Chok.* Si tamen resignans in favorem consanguinei vel amici, in ejusdem domo moriatur, negato ad infirmum accessu Medicorum & aliorum, præsumetur fraus; quæ etiam ex conjecturis probatur, L. *Dolum*, Cod. de dolo, *Mandos. Dec. Paris. leur. q. 343.*

1004 §. XI. Si resignans moriatur intra 20. dies, *Rofin Gomes. Garc. Chok.* dicunt beneficium apud Papam sic resignatum non reservari Papæ, tum quia per hanc Regulam omnia resolvuntur, ac si nihil esset factum, nec apponitur reservatio, quæ cum sit odiosa, non est inducenda, nisi in casibus expressis; tum etiam quia principalis ratio Regulæ fuit, ne Ordinarii fraudentur jure suo conferendi, quod fieret, si ad Papam pertineret collatio: E contra reservari Papæ dicunt *Sarn. Boer. Rebuff. Paris. Az. Tond. Lott. Pirb.*, Rationem dant, 1. Quia tale beneficium dicitur vacare in Curia, non aliter ac si quis in Curia beneficio privetur: *sed* hæc ratio non videtur firma, nam cum resignatio in Curia tunc sit nulla, re ipsa vacat per obitum mortui extra Curiam. 2. Quia Papa saltem applicavit manum, sicuti quando mandavit provideri de beneficio, inducitur affectio & reservatio, licet provisio impediatur. *Sed* dici potest id ordinariè verum esse, non autem hic & in similibus casibus, in quibus Papa quærit conservare jus Ordinariorum. 3. Quia secundùm *Lott.* obitus resignantis per fictionem juris

juris & in odium fraudis retrahitur ad tempus
 resignationis tentatæ in Curia, & sic iste obitus cen-
 setur esse factus in Curia, sicuti Lex Cornelia fingit
 patrem esse mortuum eo tempore, quo captus fuit,
 L. Pater instituto ff. de Captiv. & postlim. revers.
 sed dici posset gratis ea dici, cum nulla lex justificet
 priorem illam fictionem. Ex his concludit Engel,
 primam sententiam, spectatâ ratione, esse probabi-
 liorem, & testatur Chok. Leodii quotidie practica-
 ri: saltem in hoc conspirant utriusque sententiæ AA.
 si resignatio tentata sit apud Ordinarium, non affici
 à Papa, sed beneficium per obitum vacans manere
 in provisione Ordinarii, *Leur. q. 346.*

§ XII. Quamvis Regula dicat, ut beneficium
 tunc *censeat* vacare per obitum, tamen re ipsa
 etiam sic vacat, aut saltem habet omnes effectus va-
 cationis per obitum, *Paris. Lott. contra Sarn.*, quia
 in his, quæ sunt juris, paria sunt esse tale & haberi pro
 tali, & fictio à jure inducta (si talis hinc sit) habetur
 pro veritate quoad juris dispositionem, cum idem
 importet fictio legis quod Veritas, *Bartol. Vide*
Leur. q. 345.

§ XIII. Si quis beneficium sic vacans impetret à
 Papa, exprimere debet mensem obitus, *Lott. Leur.*
q. 347. Addunt *Sarn. & Paris.* etiam modum, quod
 sic vacet per obitum intra 20. dies.

§ XIV. Papa solet huic Regulæ derogare in per-
 mutationibus, & quandoque etiam in resignationi-
 bus ultra montes, sed hoc debet exprimi, nec sufficit
 in supplicia dici, *quocunque modo vacet*, nam in-
 telligitur, quocunque modo de facto vacet, non au-
 tem pro futuro ante 20. dies. Quod si laborans po-
 dagrà resignarit, & Papa derogarit Regulæ his ver-
 bis, *quatenus ex illa infirmitate moriatur*, si intra
 20. dies moriatur ex alia infirmitate, non censetur

esse derogatum Regulæ, quia non est impleta conditio, *Sarn. Paris.* Gratia autem derogationis Regulæ concessa ab hoc Papa manet sub Papa successore, *Rota, Paris.* Vide *Leur.* q. 349. Denique si quis resignarit apud Papam, & Papa moriatur ante præstitum in Camera magnum consensum, quem postea præstet resignans, attamen moriatur intra 20. dies, tenet resignatio, quia Regulæ Cancel. cessant per mortem Papæ, *Leur.* q. 348. ex *Sarn. & Paris.*, qui putant oppositum esse dicendum, si vivente Papâ datus esset magnus consensus, quia Regula jam antecederet affecisset beneficium.

1008 Q. 146. Quibus resignari possint beneficia. R.

§. I. Imprimis non possunt resignari nisi dignis, Cap. *Cum in cunctis*, de Elect. : An autem resignari debeant dignioribus, vide dicta n. 586. Deinde etiam non nisi illis, qui habent qualitates à jure, statuto & fundatione requisitas, nec aliunde tenentur impedimento, uti constat ex hæcenus dictis. Nec juvat, si postmodum superveniat idoneitas, nam tunc requiretur novus consensus resignantis & nova provisio Superioris, *Rota, Gl. Anchar. Paris.* *Leur.* p. 3. q. 350. Vide tamen dicta à n. 1836.

1009 §. II. Beneficia non possunt resignari illis, quibus non possunt conferri, hinc resignari non possunt laicis, uti constat ex dictis à n. 742. Si autem resignatio in favorem laici sit admissa à Papa sub hac clausula, *quamprimum Clericali charactere fuerit insignitus*, quamvis ille prius post mortem resignantis fiat Clericus, valet resignatio, quia resignans nihil ultra facere poterat, sed solus Papa & resignatarius, *Paris.* & alii contra *Gabr.* apud *Leur.* q. 354. Nec resignari possunt criminosis vel infirmis, secundum dicta n. 785. ; Et crimina, quæ privant beneficio, multò magis reddunt incapaces acceptari